

[Accueil](#)[Revenir à l'accueil](#)[Collection Mythologiae libri decem, Venise, Segno della Fontana, 1567](#)[Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre VIII](#)[Item Mythologia, Venise, 1567 - VII, 16 : De Daedalo](#)

Mythologia, Venise, 1567 - VII, 16 : De Daedalo

Auteur(s) : Conti, Natale

```
","author_name_items":"Auteur(s)","author_size_items":"16px","title_size_items":"16px"}}, new UV.URLDataProvider()); /* uvElement.on("created", function(obj) { console.log('parsed metadata', uvElement.extension.helper.manifest.getMetadata()); console.log('raw jsonld', uvElement.extension.helper.manifest.__jsonld); }); */ }, false);
```

Collection Mythologia, Venise, 1567 - Livre X

Ce document a pour résumé :

[Mythologia, Venise, 1567 - X \[97\] : De Daedalo](#)□

Collection Mythologia, Francfort, 1581 - Livre VII

[Mythologia, Francfort, 1581 - VII, 16 : De Dædalo](#)□

est une version augmentée de ce document

Collection Mythologie, Lyon, 1612 - Livre VII

[Mythologie, Lyon, 1612 - VII, 16 : De Dædale](#)□

est une transformation de ce document

Collection Mythologie, Paris, 1627 - Livre VII

[Mythologie, Paris, 1627 - VII, 17 : De Dedale](#)□

est une transformation de ce document

Informations sur la notice

Auteurs de la notice [Équipe Mythologia](#)

Mentions légales

- Fiche : [Projet Mythologia](#) (CRIMEL, URCA ; IUF) ; [projet EMAN](#), Thalim (CNRS-ENS-Sorbonne Nouvelle). Licence Creative Commons Attribution - Partage à l'Identique 3.0 (CC BY-SA 3.0 FR)
- Images : [Münchener DigitalisierungsZentrum](#) (MDZ).

Mythologia

De Dædalo, Cap. XVI.

Dædalus, quem ingeniosum & præstantem virum fuisse vel nomen ipsum significat, nulla alia de causa fuit tot fabularum figmentis implicatus, ut vix tandem ex illis euolare potuerit, nisi ut præclara exempla recte sapienterq; viuendi hominibus relinqueret. Hunc Eupalami sive Euphemi filium fuisse & Alcippæ testatur Zetz. hist. 19. primæ chil. At Pherecydes Dædalum Erechthei viri Atheniensis, & Iphinoes filium fuisse scripsit, à quo se tribus Dædalidæ Athenis fuerunt vocati: nam Dædalus fuit è stirpe Regia illorum, qui dicti sunt metionix. At Pausanias illum fuisse Palamaonis filium scripsit in Bæoticis. Hic non magis ob artis præstantiam, quàm ob errores & casuum varietatem celebritate nominis apud omnes gentes claruit. Dicitur solum vertisse, quia sororis suæ Perdices filium Attalum, vel Acalum, ut alii malunt, vel Telen discipulum, at non, ut quidam putarunt, filium Perdices, de tecto per inuidiam delecerit: id enim cum commisisset, sciebat quibus legibus erat obnoxius, quare metu pœnarum ad Minoem Cretæ Regem confugit, quem Endæus eius discipulus, patria Atheniensis secutus est. ait tamen Paus. in Atticis Calum nominatum fuisse illum, ob cuius eodem Dædalus è patria profugerit. Est enim illud innatum in præstantioribus ingeniis, ut superiores, aut etiam pares æquo animo perferre non possint; cum omnes maxime nitantur excellere. Hunc fabulantur à Minerua architecturam & vniuersam artem ædificandi, lignaque formandi edoctum fuisse, qui cum in Cretam penetrasset & ipsi Regi, & filiabus Regis, ob insignia opera, quæ fecit, mirificè gratus fuit. Hic labyrinthum ad formam illius Aegyptii labyrinthi extruxit, cum eius rationem tantum audiuisset. Deinde Pasiphæ factus etiam familiaris, cum illa ingenti tauri desiderio teneretur, illudq; Dædalo aperuisset, (nam Venus ob Solis odium, qui suum adulterium patefecit in omnem Solis prolem sæuiebat) Dædalus dicitur miro artificio ligneam vaccam excogitasse, in quam inclusa Pasiphæ cum tauro tē habuit. at enim re postea comperta capitalis fraudis damnatus cum filio è vinculis elapsus, Inycum, quæ vrbs erat Siciliæ, ad Regem Cocalum amisso filio in itinere euasit. at eum cum Minos insequeretur naui, ad eam Siciliæ partem applicuit primum, vbi Minoam urbem postea vocatam condidit, de qua ita meminit Georgius Gemistus in primo libro rerum Græcarum, κατεκλιμασε πρὸς τὴν Σικελίαν ἐν μινωαῖς νήσοις, ἐν τῇ τῆς Κόκαλου πόλει, ἢ ἐν τῇ Σικελίᾳ κατὰ τὴν ἀπὸ τοῦ ἀφροδίτου, κινάδου τῆς Σικελίων βασιλῆος ἐπισημασθεῖς. Navigauit ad eam primum Siciliæ partem, vbi condita est Minoa, quæ Minos ædificauit ille Rex Cretensium, quando Dædalum quærens in Siciliam appulit, & usus est perbenigno Regis Cocali hospitio. Hic cum à Minoe repeteretur, neque eum Cocalus dedisset, bellum inter Minoem & Siculos exarsit, ut ait Paus. in achaicis. cum in siciliam venisset tanto fuit in honore apud omnes Siculos, ut nullius nomen omnino per id tempus neque in Sicilia, neque in Italia magis esset celebre. Cum verò fugeret è Creta, fabulati sunt antiqui Dædalum sibi, & Icaro filio alas è cera excogitasse, ut iis ex imperio Minois, qui late terra mariq; imperabat, eo tempore euolarent. Sed cum Dædalus & Icaro & sibi alas humeris aptaret, multis verbis filium monuit ne vel sublimiora loca, vel mari nimis propinqua expeteret, sed mediam quandam regionis viam seruatet, siq; volantem sequeretur: verum Icarus, quæ sunt

ado-

adolescentum ingenia, parum ea referre rarus, neglectisque utilibus pater-
nis, ac salubribus admonitionibus, captus suauitate volandi altiora loca ex-
petiuit, quare alis nimio solis calore liquefactis in mare præceps decidit,
quod ab eo fuit Icarium nominatum, vt ait Quid. lib. 2. de arte

Icare clamabat, pennas aspexit in vndis ;

Ossa regit tellus, æquora nomen habent.

Andrætas tamen Tenedius in nauigatione Propontidis Icarium mare non
ab Icaro Dædali filio, sed ab vna Cycladum, quæ Macris & Icarus dicebatur,
nominatum fuisse scripsit. Habuit Dædalus uxorem Gortynidis filiam, è
qua suscepit liberos Scyllidem, & Dipænum, vt ait Paul. in Corinthiacis, è
quadi Cretensi muliere præterea Iapygem, è Naucræte serua Icarum. Atq;
à Iapyge filio Dædali Iapygia dicta fuit, vt ait Strab. lib. 6. Cum ante Dædali
tempora sine manibus, vel pedibus, vel oculis statuarum effingerentur ab anti-
quis, primus omnium mortalium Dædalus deficientes partes suffecit, quare
dictus est fecisse simulacra, quæ mouerentur, quod non etiam pedibus ca-
terent, vt indicat Eurip. in Hecuba ;

ἢ ποῖ τί ποτε φθίγγει ἐν βραχίοις,
καὶ χερσὶ, καὶ κίμασι, καὶ ποδῶν βάσει,
ἢ δαιδάλου τίχνασθαι, ἢ θεῶν νόμοι.

Si sit mihi vox, brachiis si robora ;

Si vel manibus, comisue, si in gressu pedum,

Vel Dædali arte, vel Deum cuiuspiam.

Sic Plato Comicus in decipiente ;

τὸ δαιδάλου πάντα κινήσει θεῶν,

ἢ τί ποτε ἀνέδρασε.

Dicas moueri cuncta sanè Dædala, &

Videre simulacra.

Non tamen ad perfectam & absolutam artem sculpendarum statuarum ven-
tum erat adhuc Dædali tempore ; quippe cum scribat Paul. in Corinthiacis
Dædali opera rudia fuisse, neque aspectu decora ; sed quæ tamen diuinitatè
quandam præ se ferrent. Inter præclara Dædali opera sella compactilis nu-
merata est, quæ fuit in delubro Mineræ Poliadis apud Athenienses dicata ;
omnesque lignæ statuar, Dædala dicebantur antiquitus. Erat & solennitas
quædam, quæ Dædalea vocabatur, quam hac de causa institutam fuisse fa-
bulantur ; Iuno aliquando Ioui irata dicitur in Eubzæm peruenisse, quam
cum placare Iupiter conaretur, ad Cithæronem, qui Platzenfibus impera-
bat, virum consilio & calliditate sanè præstantissimum peruenit. Tum Iu-
piter eius monitu ligneum simulachrum fabri cauit, quod vestibus indutum
super plauastro collocauit, famamque in omnes dedit, quod esset Platzenam
Asopi filiam ducturus. Id vbi sensisset Iuno statim accurrit, manusque ima-
gini iniecit, cum lacerata veste sensit se incundè fuisse deceptam, quare faci-
le cum Ioue in gratiam rediit. Ad huius rei memoriam lignea imago, quæ
Dædala vocabatur, septimo quoque anno plauastro imponebatur, & cum
pompa ad delubrum Iunonis vehabatur, vt scripsit Phylarchus lib. 19. histo-
riarum. Neque tamen ex quibusvis lignis illa imago efficiebatur, sed hoc ri-
tu eligebatur ad illam lignum. Lucus fuit quidam in Bærotia non procul ab
Alalcomenis omnium maximus, & peractustæ ibi quercus. ibant in eum lu-
cum Platzenfes, & elixarum carniū frusta exponebant, quibus præter ex-

ccras

- terat aues maximè negotium fuit cum coruis, quos omni conatu arcete & à carnibus expellere nitentur. Ex aliis verò volucris obseruabatur, quæ carnem abripuerit, super qua arbore confederit: neq; licet ex alia materia Dædala cedere, nisi ex illa arbore quæ prima ita fuerit indicata. Hæc ferè illa sunt omnia, quæ de Dædalo celebrata sunt, quorum sententiam nunc perquiramus. Quod artifex ingeniosus fuerit Dædalus, sororisque filium Atalum, vel Telen, vel Calum, qui figuli rotam & ferram ad imitationem dentium serpentis, quæ paruulam tabellam corroserat, inuenit, interemerit, eaq; de causa solum uerterit, & in Cretam profugerit, ubi familiaris Minois & Pasiphaes factus sit, historicè quidem, at non fabulosè narratum est. Quod etiam Pasiphae cum tauro congressa sit, illud historicè dictum est, ut explicauimus: atque cum adulterii non solum conscius, sed etiam adiutor Dædalus fuisset, quod fuit à Minoe in vincula coniectus unà cū filio Icaro. Hi carceribus reclusis paruas nauiculas naçti, cum nonnullis, qui odio habebant nimis seueram Minois administrationem uelis in uentos explicaris, remorumque utrinque valide impellentium beneficio, fugam arripuerunt; Dædalusque in Siciliam peruenit, at Icarus ob imperitiam Naucleri in scopulū impigit, & naufragium fecit, ac periit. Dicitur est autem Dædalus alas excogitasse, quia cum illum classis Minois insequeretur, ipse primus uelificationem inuenit; ac uentum secundum in puppim naçtus Minois classem anteuertit, quæ remis tantum utebatur, ut ait Paus. in Bæoticis. Arbitrati sunt nonnulli præterea dictam fuisse Pasiphaen in amorem tauri incidisse, quia cum ex Dædalo de tauro inter astra collocato, deque uniuersa re astronomica audiuisset, in astronomiæ amorem incidit; ut ait Lucianus in dialogo de Astrologia. cur uerò Minos postea illū insecutus sit; aliam offerunt rationem. Atque hæc quidem historicè à diuersis scriptoribus de Dædalo memorantur. Nunc quod ad mores pertinet, consideremus omnium malorum, omniumque calamitatum sanè fundamentum est iniustitia: nam quia Calum Dædalus è turri per inuidiam præcipitauit, in multos labores & ipse incidit; qui neque Regiam quidem amicitiam firmam esse aut tutam sceleratis hominibus expertus est. Quæ potest enim esse ingenii præstantia, quæ non miserissima sit, cum fuerit cum improbitate & turpitudine coniuncta; cū igitur ad summa contenderet Dædalus, summorumque hominum amicitias expeteret, illud ipse expertus est, quod filio persuadere non potuit, mediocritatem tutius exoptari; cum summæ cuiusq; fortunæ uel summa scelera, uel summæ calamitates soleant esse coniunctæ. Hæc ipsa ratio effecit cum in Siciliam uolaturus alas Icaro accommodaret, ut illū admoneret: media semper esse expetenda, quare inter uolādū et neq; nimis solè esse accedendū ob ingētē calorē, neq; nimis ad mare; ne herent alæ, quæ oporteret, ob aquā grauiores, aut ob frigus duriores. Sic igitur eū monet apud Ouid. lib. 2. de arte;
- Me pennis sectare datus; ego præuius ibo.
 Sit tibi cura sequi; me duce tutus eris.
 Nam siue æthereas vicino sole per auras
 ibimus, impatiens cera caloris erit,
 Siue humiles propior freto iactabimus alas,
 mobilis æquoreis penna madet, et aquis.
 Inter utrunq; uola: uentos quoq; nate cauto,
 Quosq; uocant auxæ uela secunda dato.

Quæ

Quæ præcepta si quis diligenter consideret, sanè parum pertinent ad navigationem, at plurimum ad institutionem humanæ vitæ, siquidem multo gravior est fortunatorum casus, quam eorum, qui diu infeliceiter egerunt; omniumque felicitatis molesta est iactura illis, quibus aduersa fortuna spirare cepit. Neque alia de causa hæc celebrata sunt à poetis, nisi vt demonstrarent diuinitatem, & rerum omnium excellentiam nemini esse tutam: optimamque esse mediocritatem, quæ neque inuidiam secum trahat plurimorum; neque in contemnatur: quod patitur infima hominum cōditio. At nunc de Pelope dicatur.

De Pelope.

Cap. XVII.

10

Pelops ille, cuius humerum Ceres comedit, Taygetes & Tantali filius fuisse dicitur vt testatur Eurip. in Oreste;

ὄψα φέρειν πλάσσει τὸν ἄρπυιόφρον.

Ab hoc Pelops est editus Atrei pater.

Pelopem alii patriam fuisse Lydum, alii Paphlagonium memorant; vetū quæcumque patria illi fuit, huiusmodi de illo res narrantur. Oenomaus Rex Elidis ac Præ, cum percepisset ex oraculo futurum esse vt à genitro interficeretur, filiamque haberet eximia pulchritudinis ex Eurythoe Hippodamiam, omnibus artibus conatus est homines ab eius cōiugio detertere. Atque currule certamen proposuit Hippodamiz petentibus procis, ea lege, vt qui victus fuisset, trucidaretur: qui verò victor extitisset, Hippodamiz matrimonium obtineret. Alii tamen illud factū fuisse à patre maluerunt, quia filiam amaret, quam nemini volebat concedere: quare illa de oraculo dicitur linxisse. Amabatur eadem à Myrtilo Mercarii & Cleobules filio, vel vt alii voluerunt, Phæthuse; vt alii Maotus, qui auriga erat patris ipsius Hippodamiz. Inter ceteros igitur procos post cædes tredecim aliorum, cū forma præstantem Pelopem Hippodamia vidisset, in eius amorem incidit, atque clam egit cum Myrtilo vt victoriam aduersus patrem Pelopi concederet. Tum Myrtilus clauos modiolis rotarum non immisit, quare fecit vt Oenomaus à Pelope vinceretur, ac cæderetur labentibus rotis. Alii dicunt Oenomaum superatum fuisse à Pelope, quia Myrtilus cereos clauos modiolis infixerat. Concedebat enim Oenomaus procis vt Hippodamiam in suis curribus haberent, atque cursus initium à fluuio Clade, finem Isthmum Corinthiacum esse voluit; ipseque cum hasta à tergo currens in curru sequeretur, qui ab equis velocissimis Phylla, & Arpinna trahebatur. sic igitur cōprehensus procos ipse Oenomaus hasta à tergo transiebat. Tunc iraque dolis Myrtili victus à Pelope Oenomaus cum moreretur imprecatus est Myrtilo vt à Pelope occideretur, quod etiam postea contigit. Nam cum Pelops asportaret Hippodamiam, eaque sicin pateretur in itinere, fecerat parumper de via Pelops ad aquam hauriendam: hanc primam satis aptam occasionem ratus Myrtilus absente Pelope Hippodamiam vitare conatus est. Tunc Hippodamia reuerso Pelopi Myrtilum accusauit, quem Pelops apud Gerzium promontorium in mare detruxit, quod mare ab eo postea Myrtoū dictum fuit, vt significauit Euripides in Oreste. at Isthm libro duodecimo rerum Atticarum virum bellicosum fuisse Myrtilum scripsit, qui ob promissam sibi, & postea non concessam Hippodamiam, cum Pelope certauerit, à quo tamen victus fuerit. scripsit Paus. in prioribus Eliacis, non duos tantum,

N n n tum,